

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

VENENIS

EORVMQVE DIVERSO AGENDI
MODO,

QVAM

AVSPICE DEO PROPITIO

EX AVCTORITATE GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO,

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMO PRVSSORVM REGI A CONSILII SANCTIORIBVS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDIN,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME OBTINENDIS,

AD D. XIX. NOVEMBR. A. S. R. MDCCLVI.

HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES CHRISTIANVS FRIDERICVS PERTSCH,

COBYRGENSIS,

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO
FRANCISCO JOSIAE
DVCI SAXONIAE,
JULIACI, CLIVIAE, MONTIVM, AN-
GARIAE ET WESTPHALIAE, LANDGRAVIO
THVRINGIAE, MARCHIONI MISNIAE, PRINCIPALI
DIGNITATE COMITI HENNEBERGIAE, COMITI
MARCAE ET RAVENSBERGIAE ITEMQVE
DYNASTAE RAVENSTEINI,
RELIQVA,
ORDINIS EQVESTRIS POLONICI AQVILAE
MAIORIS CANDIDAE EQVITI.
PRINCIPI AC DOMINO MEO
CLEMENISSIMO.



FRANCISCO JOSIAE
DNOI SATORIAE
VILLAGE CHEVAT MONTM AN
CARAS ET WESTHANE LANCRAVO
JOVA
DNOI SATORIAE
DNOI SATORIAE

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME.



Nimum quamuis temerarius
videar, PRINCEPS INDVLGENTISSI-
ME, qui TIBI dissertationem
meam inauguralem publice
inscribere mihi sumserim; attamen TVA,
DVX SERENISSIME, clementia, quae singularis
omnino conspicitur, atque ore gratissi-
mo ab omnibus celebratur, spem haud
dubiam mihi concipere finit, fore, vt

X 3

hasce

hasce studiorum meorum primitias No-
mini TVO Serenissimo humillime dedi-
catas ac consecratas benignissime exci-
pias. Equidem plurimos esse existimo,
qui me vel ex eo quam maxime repre-
hendendum esse existimabunt, quod la-
bor ille exiguus splendori TVO minime
respondeat, ingeniique vires laudes
TVAS, vt decet, celebrandi, mihi haud
sufficiant. Adductus nihilo minus Cle-
mentia TVA, PRINCEPS SERENISSIME, qua in-
primis auum patremque meum es com-
plexus, ante pedes TVOS hoc deuotif-
simi animi documentum deponere sub-
mississime volui. Tantis enim beneficiis
illos accumulasti, vt TIBI, PRINCEPS CLE-
MENTISSIME, per me gratias, quas possum
humillimas, agere e cineribus quasi iubere
vide-

videantur. Accipe igitur serena fronte
PRINCEPS CLEMENTISSIME, qualescunque has
studiorum meorum primitias, illudque
gratissimi animi pignus deuotissimum.
Quod reliquum est, me TVAE Clemen-
tiae TVAEque Tutelae iterum iterum-
que demississime commendo, precibus
his ardentissimis adiectis, vt Deus Ter
optimus maximus TE, PRINCIPEM MEVM
CLEMENTISSIMVM, qui omnium plane virtu-
tum spectatissimum exhibes exemplum,
omnibus bonis, quae TE TVVMque re-
gimen, felici admodum auspicio susce-
ptum, beatissimum reddunt, cumulet, cu-
mulatum ornet, ornatum ad feros vsque
annos conseruet, vt cum incomparabilis
exempli coniuge TVA, DVCE mea
SERENISSIMA atque CLEMENTISSIMA, quam diu-
tissi-

tissime TIBI subditos regas atque prote-
gas feliciter. Idemque illud Numen su-
premum Serenissimam Principum pro-
paginem per longum seculorum ordi-
nem florere quam benignissime iubeat.
Hoc animi mei adfectu ardentissimo
omnem vitam meam consumam, ad eius
vsque finem permanfurus

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME,
SERENITATIS TVAE

Halae Magdeb.
die XIX. Nouembris
MDCCXLVI.

subiectissimus & deuotissimus seruus

JOANNES CHRISTIANVS FRIDERICVS
PERTSCH.



§. I.

Venena sunt corpora, quae vel interne sumpta, vel externe adplicata, vi sua propria talem partium ad vitam necessariorum destructionem inducunt, quam mors sequitur.

§. II.

Cum venena partes ad vitam necessarias destruant (§. I.), ad vitam autem conseruandam non solum fluidum M. S. decenter constitutum, sed etiam vasa, in quibus vehitur, necessario requirantur, hinc venena agere debent vel in *fluida*, vel in *solida*, vel in *utraque simul*.

§. III.

In *solida* agere venena possunt, vasa corrodingo, ipsaque coarctando ac spasmos inducendo: In *fluida* vero suam exserere possunt actiuitatem venena, quatenus massam sanguineam vel soluunt nimis quam par est, vel eandem coagulant, vel etiam inspissant
A
maiori

maiori gradu. Ad ea denique venena, quae tam in *solida*, quam *fluida simul* agunt, referri debent, quae horum quaedam simul efficiunt.

§. IV.

Venena in solida agere posse corrodendo vasa, dictum est (§. III.). Corrosiua vero interne sumpta non aliter agunt, quam ipsa illa externe adplicata, nimirum ita, vt sale suo maxime concentrato fibras resoluant, hinc inflammationem ac vitiatam solutionem inducant, sique vasa fluidum vehentia contingant, vi sua corrosiua extravasationem fluidi in ipsis contentis producant. Corrosionem autem a salibus concentratis dependere vel ex hoc videre possumus, quod scilicet non omnia salia corrodant, hinc concludendum est, quod omnino salia corrosiua a reliquis salibus differre debeant, quae differentia, teste experientia, in concentratione est quaerenda. Triplicem enim modo tantum salia vim suam exserere possunt, nimirum 1) ex *grauitate sua specifica*, qua corpori nostro adhaerere possunt, 2) *acrimonia sua*, ac 3) denique ex *concentratione*. A primo & secundo modo, quo salia vim suam exercent, corrosionem haud produci posse, vel ex hoc adparet, quod, licet salia sumantur, quae ex grauitate sua specifica corpori nostro adhaerere & in illud penetrare valent, acrimonia quoque omnibus salibus propria sint praedita, minime tamen tanta vi agant, vt inde corrosio sequatur, nisi sint simul maxime concentrata. Ex hoc euidentissime adparet, quod corrosiua tantum agant, quantum sunt concentrata.

§. V.

§. V.

Indicato iam modo agendi corrofiuorum, videamus quoque, quommodo coarctantia ac spasmos inducentia (§. III.) in solidas nostri corporis partes vim suam exerceant. Coarctationem vero vasorum ac spasmos quoque a salibus produci posse scimus, ab illis tamen, quae corrosionem inducere valent, gradu actionis eadem differunt, ita quidem, vt minus sint concentrata corrofiuis, hinc non solutionem vnitatis producant, sed tantum acrimonia sua stimulando, fibris solidis nostri corporis adplicata, earum motum contractorium vitalem augeant. Ad haecce stimulantia autem, teste celeberrimo BOERHAAVIO, requiritur, vt sint 1) tenuia ac subtilia, quo in vascula possint penetrare minutissima eorumque poris minutissimis se insinuare, 2) vt sint acriora & 3) vt sint adeo tenacia, vt loco, cui adplicata sunt, diu inhaereant.

§. VI.

Non vero solum a salibus stimulantibus vasorum coarctatio fieri potest, sed & adhuc alius superest modus, qui in eo consistit, vt auferatur istud, quod fibrae naturaliter ad contractionem nitenti resistit. Scimus enim, quod fibrae nostri corporis ex vitalitate sese semper contrahere nitantur & actu se contraherent, nisi quid resisteret; id autem quod fibrae contractioni in statu naturali resistit, est duplex, nimirum vel fluidum in vasis contentum, vel ipsa cohaesio partium fibrae, hinc vt duplici quoque modo contractio fibrae per remotionem resistentis promoveatur, necesse est.

§. VII.

Sic spasmos & coarctationem vasorum induci posse tam stimulando a salibus, quam auferendo istud, quod contractioni resistit, satis adparet (§. V. VI.); nunc autem adhuc videamus, quaenam causas contractionis augeant. Referrī huc possunt 1) omnia ea, quae fluidum contentum non nisi ad certum aliquem gradum expandunt; 2) coagulantia, quatenus fluidum ad transitum per vasa minima ineptum reddunt, vnde vis fluidi in vasorum maiorum parietes magis deriuatur, & in minoribus resistentia immittitur; 3) denique frigida omnia, auferendo partes specificē leuiore calidas, vnde contractio fibrarum. Effectus vero contrahentium variant pro diuersitate causarum contractionem promouentium.

§. VIII.

In fluida agere venena, vel soluendo M. S. vel eandem coagulando ac inspissando maiori in gradu dictum est (§. II.). Resoluere vero est cohaesionem partium imminuere. Cum igitur in statu naturali M. S. minime sit nimis cohaerens, nec viscida, hinc venena *resoluendo* eandem ita agere debent, vt partes M. S. minus viscidas nec nimis cohaerentes adhuc magis diuidant, & earum cohaesionem magis quam par est imminuant, sicque qualitatem decentem mutant & statum inducant praeternaturalem.

§. IX.

Effectus resolutionis M. S. sunt, attenuatio nimia partium, secretio & excretio maior, expansio & motus

motus M. S. totius maior, interdum quoque praecipitatio partium solutarum, si nimirum cohaesio feri minor praesto est, ita vt partes grauiore ipsi commixtae sustineri amplius non possint, sed tanquam corpora grauiora fundum petant.

§. X.

His dictis resoluentibus (§. VIII. IX.) prorsus contrario modo agunt M. S. *coagulantia* ac *inspissantia* (§. III.). Sicuti enim ea M. S. cohaesionem imminuunt, ita haec cohaesionem fluidarum partium nostri corporis reddunt maiorem. Duplici autem modo hoc fieri potest, nimirum 1) auferendo partes specificice leuiore, 2) commiscendo partes, vel α) specificice grauiore, vel β) actu viscidas, vel etiam γ) praecipitantes. Cum ergo spissitudo induci possit auferendo partes specificice leuiore (n. I.), sciendum est, sub his intelligi particulas igneae & aqueae, nec non cum ipsis coniunctas aëreas. Auferuntur vero hae partes leuiore, speciatim igneae, per contigua corpora quaecunque frigida (secundum legem physicam; qua particulae igneae semper ex corpore calido transeunt in corpus minus calidum). Partes aqueae autem auferri possunt 1) per auctiorem calorem, 2) per motum corporis maiorem, 3) per defectum potus, & 4) denique per euacuationes quascunque serofas, vt vomitum, purgationem, &c.

§. XI.

Partes specificice grauiore commixtae (§. X. n. 2. a)
M. Seam inspissant triplici modo, I.) dum auferunt partes

A 3

partes fluxiles serofas, eo quod hae, tanquam specificae leuiore, in istarum penetrent poros; II.) dum eodem modo (n. I. huius §.) auferunt salia, quae serum fundunt; III.) dum contactu immediato cum reliquis partibus cohaesio oritur maior.

§. XII.

Viscida M. Seae commixta (§. X. n. 2. β) inspissant, dum insinuando sese in interstitia fluidorum minorem cohaesionem reddunt maiorem.

§. XIII.

Speciem coagulantium quoque praestant praecipitantia (§. X. n. 2. γ), quatenus efficiunt, vt partes in sero solutae ac cum eodem cohaerentes, abeant ex suis interstitiis & tanquam partes sero specificae grauiore fundum petant. Quodsi hae partes praecipitantes acidae sunt, tunc non solum praecipitando coagulant, sed & sese vniendo cum salibus acerbis alcalicis fundentibus, vltiorem fusionem impediunt.

§. XIV.

Omnium iamiam dictorum inspissantium ac coagulantium (§. X-XIII.) effectus, sunt, resolutio partium difficilis, ineptitudo ad motum celeriore ac maiorem per vasa minima, nec non secretionum & excretionum imminutio.

§. XV.

Quod eorum venenorum modum agendi attinet, quae tam in solida, quam fluida simul agunt (§. III.), ille cum dictis (§. IV - XIV.) coincidit, ita vt
M. Seam

M. Seam coagulare, nec non vasa simul corrodere, vel M. Seam resoluere, partes solidas vero simul destruere valeant, &c. Vno verbo, sub his intelligi possunt, quae dictorum quaedam simul efficiunt.

§. XVI.

Explicato generali modo agendi venenorum, consideranda nunc veniunt quaedam specialiora, quibus applicatio ad dicta generalia fiat. Priusquam vero ad haec progredior, silentio praeterire non licet, quod venena quoque diuidantur in *lenta & fortissima*, pro ratione temporis, quo mortem inferunt.

§. XVII.

Fortissimum venenum dicitur, si mors statim, vel intra breue tempus post assumptum illud, sequitur. *Lentum* autem adpellatur venenum, si post aliquod temporis spatium demum vim suam exerit. Ad haec venenorum genera referri possunt ea, quae a Gallis dicuntur *les poudres de succession*, de quibus refertur, quod ita possint praeparari, vt post longum, immo certum & determinatum quoddam temporis spatium, mortem demum inferant. Sic Dominam *de Briauvillers* ex tritis puluerisatisque adamantis fragmentis & saturni saccharo huiusmodi venenum confecisse idque sub titulo *le poudre de succession* adseruasse & propinasse, narratur. Huius quoque mentionem facit SPLEISSIVS, *adnotat. ad Rapati secret. med. chirurgis. cap. I.* quemadmodum etiam huc conferri mereatur disertatio, *de Venenis terminatis & temporaneis*, quae Galli *les poudres de succession* vocant, sub Praefidio

fidio celeberr. Dn. D. STENZELII Wittebergae
habita.

§. XVIII.

Venena vero aequae lenta, ac fortissima euadere, faltem ratione subiecti, cui exhibentur, & ratione doseos in qua praebentur, nec absolute talia dari, per se iam satis liquet. Cum enim deprehendamus, idem venenum, sub eadem dosi exhibitum, alteri plane nihil damni adferre, vel ad minimum non cito, sed demum post longum temporis spatium nocere, alterum vero statim interficere, utique exinde concludere licebit, venena lenta ac fortissima respectu doseos & subiectorum tantum esse talia.

§. XIX.

Ex venenis, quibus nostris temporibus homines plerumque e vita tolluntur, primum locum tenet *arsenicum*, tanquam venenum innumeris lethalibus exemplis satis infamatum, quod non nisi corpus ali- quod minerale est, ex Cobalto separatum & per sublimationem in peculiarem suam formam redactum.

§. XX.

Numerantur arsenici tres species, nimirum *album*, *citrinum* ac *rubrum*. Haec omnia sunt venena, sed perniciosissimum ac vulgarissimum est arsenicum *album*.

§. XXI.

De hoc arsenico speciatim notandum est, quod solitarie in crucibulo igni impositum in auras abeat, ac
odo-

odorem spargat alleaceum; cum alcali autem & pinguedine commixtum in regulum abeat & fixum quasi reddatur.

§. XXII.

Commutatio huius arsenici in regulum sufficienter testatur, quod ipsi inest pars quaedam metallica. Regulus enim sine metallo nec cogitari, nec existere potest; cum vero sine addito alio quodam metallo, ex sola commixtione arsenici cum alcali & pinguedine, regulus confici possit, sequitur inde, partem quandam metallicam cum arsenico commixtam fuisse & in eodem latitasse. Idem hoc quoque confirmat praeparatio arsenici artificialis, dum ex parte metallica quacunque & acido salis communis arsenicum confici potest. Metallum vero arsenico naturali commixtum, pro diuersitate metallifodinarum, ex quibus obtinetur, diuersimode constitutum reperiri, experientia docet.

§. XXIII.

Huic arsenico autem quoque inesse acidum salis communis, non solum praeparatio arsenici artificialis probat (§. XXII.), sed & odor alleaceus (§. XXI.) salis confirmat: Nullum enim sal odorem exhibet alleaceum, praeter acidum salis communis.

§. XXIV.

Sic ex synthesi ac analysi arsenici (§. XXII. XXIII.) videmus, quod ipsius partes constituentes sint 1) pars quaedam metallica, 2) acidum salis communis.

B

§. XXV.

§. XXV.

Cum autem salia acida, cum corpore grauiore coniuncta, euadant concentrata (vi experientiae), ac arsenicum ex sale acido & metallo, utpote corpore quam maxime graui, constet, minime mirandum est, quod sit corpus salinum maxime concentratum, & quidem ita, ut sal maxime concentratum vim suam exerat. Hinc arsenicum ad ea venena est referendum, quae inprimis agere corrodingo partes solidas diximus (§. IV.), licet negari non possit, quod in principio quoque sale suo vasa stimulare sicque spasmos inducere possit, & idcirco iis quoque venenis adnumerari debeat, quae sale suo nostris partibus solidis spasmos inducendo agunt (§. V.).

§. XXVI.

Cum arsenici vis noxia maxime in concentratione salium sit posita & recondita (§. XXV.), hinc ipsius antidota erunt omnia ea, quae concentrationem salium impediunt illaque e nostro corpore eliminare possunt, quo respectu optime huc referri possunt I.) diluentia aquea, quoniam non solum salia ipsa sic diluuntur & desinunt esse concentrata atque corrosiua, sed & fibrae irritatae, ob emollitionem, ad spasmodicam constrictionem fiunt ineptae; II.) antidota quoque erunt, quae adhaerendo salibus nouum mixtum constituunt sicque eorum actionem temperant, uti videmus hoc fieri posse in arsenico, aceto destillato correcto, quatenus hoc non solum tanquam acidum

dum salium alcalinorum actionem impedit, sed & parte sua crassiore, arsenico commixta, ipsius actionem temperat. Hoc enim a parte aceti destillati crassiore effici posse, demonstrat experimentum in *Annal. phys. med. Wratislaviens. Ann. 1721. Mens. Decemb. Class. IV. Artic. 15.* de virtute febrifuga arsenici albi, quam quidam eidem adfusione & euaporatione saepius reiterata aceti destillati conciliare, ac insimul vsum eius sic securiorem reddere volunt, de quo quidem non immerito dubitamus, licet id pluribus quoque adstruere conatus fuerit *Melchior FRIDERICI*, in *Tr. de virtute venenorum medica.* Interim nihil aliud hoc modo fieri solet, quam vt partes subtiliores aceti destillati in auras propellantur, crassiores vero remaneant & cum arsenico commisceantur, sicque corpus quoddam alteratum minus corrosiuum constituent. Denique III.) idem fere fieri potest, superficiem venenorum specificè leuiorem reddendo, id quod potissimum praestant sulphurea blanda, maxime oleosa & huius generis alia.

§. XXVII.

Quodsi venena tantum adhuc haereant in ventriculo, nec nimiam antea iam induxerint corrosionem, tunc optime conducunt vomitoria, sic enim simul ac semel e corpore remouentur. Vomitoria autem talia minime debent esse acria, ne adhuc magis corrosionem ac inflammationem inducant, sed tantum lenia, nauseam excitantia, e.g. aqua tepida dulcificata, lac,

lac, olea, quae non modo vomitum absque stimulo & erosione producere, sed & salia simul diluere eorumque causticam virtutem infringere possunt.

§. XXVIII.

Cum arsenici modo agendi fere coincidit *mercurii sublimati* itemque *praecipitati* agendi modus, qui potissimum emergunt, dum mercurii viui singulae partes salibus acidis circumdantur. Mirum omnino est, quod mercurius sublimatus ac praecipitatus tanta vi in fibras nostri corporis solidas agere queant, ut earum destructio sequatur, adeoque tali ratione vena constituent, cum mercurius ob grauitatem suam specificam maiorem in fibras nostri corporis agere plane nequeat, & salia, tanquam fibris nostri corporis specificè leuiores, vel aequalia, agant quidem, non tanta tamen vi, experientia teste, ut destructio sequatur. Quodsi vero consideramus 1) salia per adhaesionem ad specificè grauius, mercurium nempe, tantum concentrari, quantum possunt, hinc concentrata maiori vi agere; 2) actionem ex adhaesione, ob massam particularum per mercurium auctam, fieri maiorem; 3) ipsam actionem fluidorum nostri corporis commotorum in talem particulam, parieti vasis adhaerentem, ob eandem massam auctam; 4) actionem vasorum in easdem particulas (n. 2.) ex data ratione, adeoque simul reactiones ex hisce causis ortas crescere pro ratione massae auctae, facile inde poterit vis insignis mercurii sublimati & praecipitati concipi ac dilucidari.

§. XXIX.

§. XXIX.

Sicuti mercurii sublimati ac praecipitati modus agendi cum illo arsenici conuenit, ita & antidota erunt vna eademque, hinc eadem, quae indicata sunt §. XXVI. & XXVII.

§. XXX.

Frigus quoque in venenorum numerum, & quidem eorum, quae in partes nostri corporis solidas coarctando agunt (§. VI. VII.), referre haud dubito. Ex physicis enim constat, quod calor transeat ex quocunque corpore in quodcunque, quod ignem tanta quantitate relatiue non possidet, citius tamen & maiori copia ex corpore specificè leuiori in grauius; vid. Illustr. HAMBERGERI, Praeceptoris mei omni pietatis cultu venerandi, *Elementa Physices*. Cum autem per transitum ignis ex nostro corpore in corpora frigida id, quod fibris ad contractionem nitentibus resistit, auferatur (§. VI. VII.), hinc necessario debet fieri contractio fibrarum neruearum; cumque vltius totius nostri corporis fibrae nerueae mutuam inter se habeant commercium, ita vt, si vna pars neruea vehementius contrahatur, reliquae statim per consensum simul adficiantur, hinc mirandum non est, quod per frigus constrictiones spasticae totius corporis induci possint, quod transpiratio salutaris impediatur, alius quoque stricta reddatur, nec non vasa vterina, ex quibus menstrua succedit excretio, reddantur arctiora, & alii sanitati maxime infensi effectus producantur. Eandem ob causam frigus eo tem-

pore, quo in morbis materia peccans per poros cutis eliminari debet, similiter veneni instar agit, id quod potissimum metuendum est, si in exanthematicis febribus eo tempore, quo miasma variolosum, morbillosum, aut purpuraceum, ad peripheriam deferri debet, aut iam delatum fuit, illud improvide admittitur. Cum autem ignis ex fluido M. Seae aequae ac ex partibus solidis in corpora frigida transire possit, hinc facile patet, quod frigus quoque ad ea venena sit referendum, quae fluida inspissant (§. X.). Nam per transitum ignis ex fluidis, priuantur haec partibus suis specificè leuioribus, ex quo cohaesio oritur maior ac M. Seae fluiditas imminuitur, eaque sic ad obstructiones inducendas aptior redditur (§. X. XIV.). Facile ergo sic patet, quod in visceribus, ubi vasa adsunt minima, ut liene, hepate, pulmonibus, a sanguine tardius progrediente, stagnationes ac infarctus fieri possint, unde graues ac diuturnae passiones deinde oriuntur, immo & polyporum generationes, qui magnos & fere insanabiles chronicos morbos demum post se trahunt. Conf. Illustr. b. m. HOFFMANNI *Medic. ration. system. Tom. II. Cap. X. §. VII. Schol. p. 217.*

§. XXXI.

Quoniam frigus agit constringendo vasa ac inspissando M. Seam (§. XXX.), hinc optime contra illud erunt adhibenda ea, quae fibras strictas relaxant, id quod commode externe per frictiones ac balnea tepida obtineri potest, quemadmodum etiam omnia ea hic profunt, quae M. Seam coagulata vel inspissatam

fatam resoluere valent, inprimis autem talia sub forma infusorum calidorum conducunt, quatenus non solum fluiditatem deficientem restituunt, sed & humido suo calido vasa nimium constricta relaxant.

§. XXXII.

Venenis quoque *fulmen* adnumerari debet, utpote quod corpus nostrum ita repente destruere valet, ut immediate mors sequatur. Dependet autem hic summe noxius & deleterius eius effectus partim a particulis eius sulphureis, partim vero a vehementi & repentino terrore, a quo solo interdum homines subito e viuis sublato fuisse, per experientiam constat, quemadmodum etiam eundem funestum effectum sulphuris accensi vapor pariter per se iam producere potest. Cum igitur fulmen copiosissimas secum ferat particulas sulphureas, in motu constitutas, hinc facile patet, quod illud aequae, ac reliqui vapores sulphurei, homines necare queat. Multiplici autem modo id efficere potest, dum nempe particulae aëris proxime ambientis per aliquot ad minimum momenta tanto gradu exinde incalescunt, ut nullas alias, ex corpore humano progredientes calidas particulas, in confortium suum recipere queant, unde respiratio maxime impeditur, eaque prorsus tandem sufflaminata, mors sequitur; vel dum per calorem fulminis aër expanditur, eiusque maior rarefactio inducitur, quae non solum similiter suffocationem post se trahit, sed & ipsa vasa fluidumque in iis contentum nimium expandendo, facile rupturas & extrauafationes, inprimis in cere-

cerebro, producit, quas apoplexiae lethales dein excipiunt. Accedit vero tertius quoque modus, quo sulphur accensum acidum diffundit spiritum, fibras nostri corporis, hinc & pulmonum, repente ac valide constringentem, adeoque similiter suffocationem lethalem inferentem. Respectu huius modi agendi fulminis, merito illud quoque adnumerandum erit talibus venenis, quae agunt coarctando vasa. Praecipuum vero remedium, fulmine tactos ab instante morte adhuc defendendi, est remotio ex locis vaporibus sulphureis repletis; de reliquo ipsis, pro diuersitate symptomatum, aptis postea remediis est succurrendum.

§. XXXIII.

Ordo nunc me ducit ad ea venena, quae in fluida nostri corporis agunt, & quidem ex his primo consideranda veniunt, quae coagulum humoribus inducunt (§. XIII.), in quorum censum, praeter spiritus acidos concentratos, in paullo maiori dosi sumtos, in primis *spiritus vini* referendus est, quatenus non solum acido suo coagulat, sed & tanquam fluidum sero specificè leuius, ipsius cohaesionem reddit minorem, vnde partes grauiores huic humori commixtae vltèrius sustineri non possunt, sed a reliquis secedunt, & quia post praecipitationem inde succedentem sese contingunt, hinc fortius cohaerent, quam sub commixtione priori ac intimiori cum sero. Demonstrant etiam hoc morbi a nimia spiritus vini ingurgitatione induti, quae non nisi humorum praeternaturalem coagulatione-

lationem, viscerumque graues obstructions & scirrhos pro fundamento agnoscunt.

§. XXXIV.

Huius generis venenorum antidota erunt 1) absorbentia, vt lapid. cancror. conch. ppt. mat. perl. ppt. &c. quatenus acidum in sua recipiunt interstitia; 2) diaphoretica, quae cohaesionem maiorem imminere simulque acidum illud noxium & coagulans euacuare valent, & tandem 4) ipsa etiam diluentia, debitam humoribus fluiditatem restituentia.

§. XXXV.

Corpora, quae minori gradu coaguium inducunt, sub *inspissantium* nomine veniunt. Ad haec referri possunt *fungi*, qui partes suas viscidas insinuando in interstitia M. Seae cohaesionem minorem augent maioremque reddunt (§. XII.).

§. XXXVI.

Diuiduntur *fungi* in *noxios*, ac *innoxios*. Noxios quod concernit, illi sunt vel *per se*, vel *per accidens venenosi*. Per se venenosi sunt & nocent partim propter suam visciditatem ac tenacitatem, quam ventriculi menstruum superare nequit, vnde crudus viscidusque separatur chylus, hacque ratione id efficiunt, quod §. praecedente iam dictum est; partim vero, dum sale quodam acri caustico ventriculi ac intestinorum tunicam nerueam vellicando, spasmos excitant, & sic ita nocent, prout §. V. indicauimus. Vid. Illustr. b. m.

C

HOFF-

HOFFMANNI *Med. ration. syst. Tom. II. part. II.*
cap. 9.

§. XXXVII.

Per accidens venenosi dicuntur fungi, vel non rite parati, vel ab animalibus venenosis conspurcati, vel infectis eorumque ouulis atque excrementis infecti, vel denique copia nimia ingesti.

§. XXXVIII.

Non rite parantur fungi, si vel superfluum eorundem humidum non satis exprimatur, vel si non satis elixentur & aromatibus ac corrigentibus oleosis non emendentur, id quod potissimum ad rem culinariam spectat.

§. XXXIX.

Animalia venenosa, quae eosdem conspurcare valent, sunt v. g. bufones atrii, qui in saltibus inprimis locisque umbrosis ac humidioribus latent, quorum excrementis saepe fungi, alias innoxii, venenosa qualitas adfricatur. Insecta, quae in fungis delitescunt, sunt vel teredines, vulgo *Waden*, vel scarabeorum varia genera, vel millepedes, &c. Maiori, quam decet, in quantitate si ingeruntur fungi, plus omnino nocent, quam cibi etiam optimi, nimia pariter in copia adsumti.

§. XL.

Symptomata, quae a veneno fungorum excitantur, sunt vomitus, diarrhoea, singultus, cardialgia, animi

animi deliquium, praecordiorum suppressio, sudor frigidus, tremor partium, aliaque plura, quae fufius recensent SENNERTVS in *Institut. lib. IV. P. I. cap. 3.* & Illustr. b.m. HOFFMANNVS *Med. rat. syst. Tom. II. Part. II. cap. 9. §. 20.*

§. XLI.

Vt autem de horum quoque antidotis pauca dicam, sciendum est, quod his venenorum generibus ex suis fontibus sit succurrendum, & de his aequae ac omnibus venenis valeat, quod, si adhuc in ventriculo haereant, per vomitoria sint remouenda, hac tamen sub differentia, quod, si fungi non acres, sed tantum viscedine sua noxii fuerint, emetica acria exhiberi possint, e.g. tartarus emetic. rad. ipecacuanhae, oxymel squillit. &c. quia per haec materia viscida simul ad euacuationem aptior redditur. Quodsi autem ad intestina iam transiisse venenum videatur, vel vomitus excitari haud possit, tunc laxantia, oleosa, mucilaginosa & salina exhiberi, nec minus clysteres abstergentes adplicari possunt. Vbi vero materia venenosa iam delata est ad massam sanguineam, tunc respiciamus, num viscedine sua, vel acrimonia, noxam quandam inferre possit; si prius fuerit, nocet inspissando M. Seam, adeoque ea erunt antidota, quae cohaesionem maiorem imminuunt, vt diaphoretica cum sufficiente humido diluente iuncta, nec non incidentia & resoluentia; si autem acrimonia sua M. Seae obest, tunc adhiberi possunt, praeter dicta diaphoretica, etiam medicamenta absorbentia & gelatinosa, quae particulas acres in sua recipiunt interstitia,

C 2

§. XLII.

§. XLII.

Ad hanc venenorum classē, quae nempe inspissando agunt, multi quoque referunt *Opium*, dum narcoticorum modum agendi consistere in *inspissatione* autumant, quorum tamen vim alii ponunt in *maiōri resolutione*. Placet igitur prius inquirere in veritatem vtriusque huius sententiae, & argumenta pro earum confirmatione adducta probe ponderare, antequam ad viam ex illis accedam.

§. XLIII.

Illi, qui Opio vim *inspissantem* tribuunt, eo potissimum nituntur fundamento, quod somnus proprie consistat in defectu spirituum, cumque hypnotica somnum producant, hinc ea esse talia medicamenta autumant, quae spiritus imminuunt, & cum porro narcotica ab hypnoticis tantum gradu differant, hinc concludunt, narcotica esse talia corpora, quae spiritus maiori in gradu imminuunt, ita ut inde stupor fiat. Postea vero sibi concipiunt, hanc spirituum imminutionem tantum fieri posse inspissando *M. Seam*, & quidem ab opio ita, ut sulphure suo partes serofas *M. Seae* viscidiores reddat hincque spirituum secretionem impediat.

§. XLIV.

Quando vero perpendimus, quod spirituum imminutio non solum ab inspissantibus inducatur, sed & adhuc aliae causae concurrere queant, quae
M. Seam

M. Seam ita alterare valent, vt secretio spirituum immi-
nuta eueniat, vtique tunc colligere exinde licebit, vim
narcoticam opii minime se exerere inspissando
M. Seam. Si enim a sulphureis opii partibus spissi-
tudo M. Seae induceretur, omnia interstitia M. Seae
in nostro corpore deberent expleri partibus istis;
cum autem ad hoc efficiendum magna copia partium
talium requiratur, opium vero in exigua quantitate
narcosin inducat, facile inde patet, quod inspissans ef-
fectus ab eo produci haud queat, inprimis cum insuper
constet, quod in genere sulphur magis resolutorium,
quam inspissantem exerat effectum. Accedit autem
porro & hoc, quod opium consistat simul ex parte re-
sinosa, saponacea, fixiori ac gummosa, quae singulae
quidem stimulo, minime vero inspissando agere
possunt. Constat etiam vltius, quod opium per
coctionem, vel ignem, ita praeparari possit, vt eiusdem
vis narcotica infringatur & fere abigatur, sicque ad-
modum securum illud constituat remedium, cui nar-
cotica qualitas facile iterum per fermentationem re-
stitui potest: Iam vero mediante coctione vel igne
nihil aliud imperatur, quam vt partes volatiliores &
subtiliores in auram abeant, quae vero per fermenta-
tionem dein iterum restituntur, hinc merito inde
coniciere licet, his subtilioribus partibus vim narcoti-
cam potissimum esse tribuendam. Si autem ab his par-
tibus subtilioribus narcosis producitur, minime proba-
bile est id fieri inspissando, cum hae partes subtiliores
maiores cohaesionis gradum producere haud valeant,
sed inde potius ea imminuatur.

§. XLV.

Neque etiam obstat huic sententiae, quod sub sectione anatomica talium subiectorum, quae ex abusu narcoticorum & opiatorum interierunt, sanguis in vasis maxime inspissatus & coagulatus deprehensus, eademque admodum turgida & infarcta obseruata fuerint, cum id partim non repugnet effectui *resolutorio*, vtpote sub quo particulae leuiiores ac subtiliores magis liberantur ac, crassioribus relictis, facilius exhalant, aut in lateralia vascula secedunt; partim etiam, teste experientia, cruor non in vno quasi continuo, maxime in vasis paullo maioribus, coagulatus, sed hinc inde spatia quaedam in talibus canalibus aëre repleta & a sanguine vacua obseruata fuerint, quae manifestum praegressae *rarefactionis* indicium praebent, quorsum tandem etiam pertinet, quod acida, imprimis vegetabilia, veluti succus citri & acetum, non solum inter corrigentia, sed & ipsa antidota narcoticorum & opiatorum referantur, quae tamen non aliter, quam impediendo nimiam *resolutionem* & *rarefactionem* agunt, adeoque & hanc a venenis illis induci probant.

§. XLVI.

Ex eodem hoc fundamento etiam reddi potest ratio, cur opiata & narcotica liquidi neruei liberum in partes transitum & influxum impediunt, adeoque soporem profundum, sensuumque & motuum plenarium defectum inducant, cum partim vi sua rarefaciente

ciente liquidum illud tenuissimum nimium dissipent, partim etiam vaporosis suis particulis sulphureis naturalera subtilem & elasticam eius crasin maxime peruertant & inquinent, adeoque illud ineptum ad ingressum in neruos, motumque horum ope excitandum, reddant.

§. XLVII.

Eodem autem modo, quo opium, agunt quoque *cicuta aquatica*, *hyoscyamus*, *napellus*, &c. nisi, quod praeter sulphureum vaporosum, etiam acre quoddam salinum, maiori vel minori in quantitate, simul coniunctum habeant, vnde etiam vltima haecce narcotica ad ea venena referenda sunt, quae agunt tam resolvendo M. Seam (§. VIII.), quam simul stimulando vasa (§. V.).

§. XLVIII.

Cum igitur modo nominata (§. XLVII.) partim sulphureis crassioribus, partim etiam salinis acribus particulis, tam M. Seam resolvendo, quam vasa stimulando, agant, hinc erunt ipsorum antidota omnia ea, quae actionem distarum partium imminuunt, vt omnia diluentia, nec non quae nouum mixtum minus acre constituunt, vt acetum destillatum, item pinguia, salium actionem impediunt, videlicet lac & olea, nec non absorbentia, quatenus acrimoniam salium obtundunt, ac tandem diaphoretica, quae partes horum venenorum noxias, iam iam ad M. Seam, delatas, e corpore expellunt, id quod etiam, si adhuc in primis haerent

rent viis, optime praestant mitiora, vel laxantia non acria.

§. XLIX.

Vtcrius quoque ad ea venena, quae M. S. resolunt partibus suis salinis alcalicis acribus & sulphureis, quaeque simul ob eandem acrimoniam vasa stimulant, & hinc quoque motum ac destructionem M. Seae augent, referri merentur salivae & succi quorundam animalium, vt saliva canis rabidi, humoresque venenosi scorpionum, tarantularum, viperarum, serpentum, bufonum, araneorum, similibusque insectorum, de quibus tamen singulis specialius hic agere non lubet, sed paucis saltem in transitu quasi notare, quod in morfu tarantularum, praeter dicta generalia (§. XLVIII.), specificum antidotum sit Musica & crebrior inde excitata ac repetita saltatio, in quantum nempe illa delirio plerumque coniuncto succurrit mentemque turbatam quadantenus excitat, haec vero sub fortiori corporis commotione omniumque membrorum agitatione diutius continuata, sudorem copiosum paullo impetuosius prolicat, eoque ipso simul miasmatis illius peregrini, summe noxii, humorum massae iam iam intimius insinuat, expulsionem congruam & vniuersalem simul adiuuat.

§. L.

In morfu scorpionis autem specificè laudatur & commendatur, ipse scorpio conquassatus ac vulnere im-

impositus, aut oleum scorpionum per infusionem paratum, quemadmodum etiam in morsu canis rabidi crines, aut portionem hepatis eiusdem canis, similiter externe imponere solent, coniuncta simul scarificatione & cucurbitularum adplicatione, nec non internis, tum generalioribus in §. XLVIII. iam recensitis, tum etiam specificis, hinc inde in Practicorum libris commendatis, quorum recensione lubens supersedeo, cum ad praesentem scopum non pertineant.

§. LI.

De reliquo ex dictis hisce fatis simul adparet, quod his venenis quoque adnumeranda sint omnia miasmata maligna, varii generis febres, maxime exanthematicas, producentia, cumque eorum modus agendi idem fere sit cum iam adductis, hinc eorum antidota coincidunt cum iis, quae in §. XLVIII. commendata sunt.

§. LII.

Plura quidem adhuc restant venena, quae tamen quoad maximam partem cum haecenus enumeratis, ratione modi agendi, conueniunt, quare etiam specia- liorem eorum mentionem iam non sum facturus, cum ea, quae de principalioribus haecenus adducta sunt, pro scopo nostro sufficere queant.

S. D. G.

D

NOBI-

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO DOMINO
CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

Facere non potui, quin TIBI in publicum prodeunti & sum-
mos in arte medica honores capefcenti, mentem meam
significarem beneuolam, & quanti TE faciam, publice
declararem. Ab eo enim, quo in meam peruenisti notitiam,
tempore, non solum singularem Tuam in addiscenda medica scien-
tia diligentiam, sed & egregiam TVI animi indolem, cum mo-
rum probitate coniunctam, perspexi, & statim de fausto Tu-
rum studiorum progressu optime sperare coepi. Collegiis enim
meis assiduus & indefessus adfuisi auditor, plurimis sedulitate
palmam praeripiens, & aliorum quoque in hac Academia cele-
berrimorum Doctorum acroases frequentasti. Neque in ea,
quam de TE concepi, opinione deceptus, sed potius confirmatus
fui, cum mihi Tuam dissertationem tradideris perlustrandam
ac percensendam. Nihil in ea inueni, quod mutari ac emen-
dari postulareret, sed TIBI ea, qua mihi tradidisti, facie nunc red-
do, quoniam se non argumenti solum grauitate & utilitate, sed
concinno etiam ordine, quo in demonstrandis Tuis ueritatibus
usus es, optime commendat. Explicasti in hoc TVO Specimine
inaugurali diuersum uenenorum agendi modum eorun-
que di-
uersos, quos pro varia sua indole in corpore humano edunt, et
secus, ex qua pertractatione quantum utilitatis in medicinam
foret

forensē aliasque artis salutāris partes redundet, unicuique vel paululum eiusdem gnaro patet, nec multis dicere attinet. Saepissime enim casus occurrunt, ubi certa veneni species cuidam clandestino & nefando modo exhibita fuit, & dein a posteriori demum indagari debet, quod & quale venenum illud fuerit. Hac in re Medicus multum de fama sua periclitari, quin plenariam eius iacturam facere potest, nisi ipsi diuersus venenorum modus agendi fuerit perspectus. Quomodo enim ex sola caudaueris, veneno extincti, inspectione eiusdem naturam ac indolem determinare possit, nisi effectus norit, qui ab eo proficisci possunt, ego saltem non perspicio. Accedit ad hoc, quod ea rerum, quae vel in alimentum, vel in insignem medicinam corpori humano cedunt, sit natura ac indoles, ut impronide ac minus caute usurpatae, veneni naturam non raro adsumant. Nihil dicam de fortioribus, quae vomitum & aluum cient, euacuantibus, nihil de medicamentis, quae antimonialis, vel mercurialis, aut metallicae sunt prosapiae, vel quae sulphure quodam narcotico enormes motus sopiendi efficacia pollent, sed tantum res plerumque innocuas, ex alimentorum classe, ut potum aquae frigidae, aquarum mineralium, lactis eiusque seri, & ex medicamentorum censu martialia, salia volatilia, nitrosa & corticem chinae in exemplum adducam, quae prudenter adhibita saluberrima, imprudenter vero usurpata summe perniciofa sunt. Merito igitur collaudanda est TVA opera, quod res corpori nocuas & modum, quo nocere possunt, accuratiori subieceris examinari. Gratulor hinc TIBI laborem TVVM bene peractum & curriculum vitae academicae ex voto absolutum, utque honoribus, qui TIBI decreti sunt, feliciter diuque fruaris, patriaeque TVAE plurimo cum fructu inseruias, animo TIBI optime cupiente voueo & adprecor. Vale! Halae Magdeburg. d. XVII Nouembr. clo lcccxlvi.

✠) o (✠

D 2

Dac

Dat Galenus opes, dat Iustinianus honores,
Cultorem hic ornat, ditat at ille suos.
Dic quis demereat cultores, Iustinianus,
An mage Galenus? sis sine lite mihi.
Porrigit huic palmam, titulis turgescere quisquis
Adpetit, isti offert, ardor habere cui.
Iste huic praeferrī mihi iure videtur; vtrumque
Largitur siquidem, ditat vtroque suos.
Diuitias, in confesso est, largitur; honorem
Impertit, praesens comprobat actus idem.
Profit honos, profit morbo Tua dextra prehenfis
Aegrotis misce pharmaca grata Tuis.

D. Nicolai,
Opponens.

Schon wieder ein gelehrter Mann,
Der brave Pillen drechseln kan,
Und gute Tropfen brauet.
Ihr Leute komit doch schnell herbey,
Gewis er gibt euch Zehnerley,
Davor dem Tode grauet.

Gelingen ihm die Curen nicht,
Genug, wenn er mit Wahrheit spricht
Er sey ein Doctor worden.
Warum? er hat das Recht erkaufft,
Und mag getauft und ungetauft
Nach freyem Willkühr morden.

Der

Der Todtengräber ist sein Rath;
Denn was der Herr gesündigt hat
Verscharret der im Grabe.
Damit der junge Doctor frey
Von allem bitterm Vorwurf sey
Und keinen Kläger habe.

So, Freund, so schwast die tolle Schaar
Die selten recht vernünftig war
Und freche Stümper meinet.
Dich geht ihr Urtheil nimmer an.
Troz, wer von Dir behaupten kan,
Was jenen ähnlich scheint.

Du bist Apollens ächter Sohn,
Hygea reicht den schönsten Lohn,
Dir, werther Freund, zur Beute.
Dein unermüdet wackrer Fleiß,
Erlangt mit Recht den höchsten Preis.
Dein Wissen krönt Dich heute.

Tritt Stand und Würde fröhlich an,
Und wenns der Neid nicht halten kan,
So laß ihn schmähn und schelten.
Ich weis Du bist ihm auch nicht faul;
Er wird sein schmähend lästermaul
Noch Zeit genug entgelten.

Hiermit empfiehlt sich dem Herrn Doctorando
zum geneigten Andencken, ein ergebenster
Freund und Diener

J. C. Nasse,

aus Bielefeld,

Medic. Candid. Opponens.

D 3

Mun

Sun Du trägst den Crantz mit Rechte, so um deinen Scheitel
grünt,
Denn Du hast ihn ja mit Mühe und mit vielem Fleiß verdient.
Meine Regung kan hierbey nicht so unempfindlich bleiben,
Daf sie von dem frohen Trieb nicht solt einen Zeugen schreiben.
Reise dann zum Vaterlande mit viel Millionen Glück,
Und gedenck an Deinen Diener unterweilen mit zurück.

Hiermit sollte dem Hochedlen Verfasser dieser Disputation
zur rühmlich-erlangten Doctor-Würde ergebenst gratu-
liren und sich zu Dessen fernern Gewogenheit em-
pfehlen

J. C. W. Berpoorten,

aus Coburg,

d. A. R. B. Oppon.

Kan sich ein Theolog in heilger Wahrheit üben,
Die selbst unmittelbar aus iener Höhe stamt;
Kan der Juriste sich in Römisch Recht verlieben,
Wann ihn Justinian zum Fleiß durch Ehr anflamt;
Kan ein Philosophus in solche Wahrheit bringen,
Die durch Vernunft und Schluß ihn zu dem Schöpfer führt:
So kan Hygeens Sohn durch Fleiß es dahin bringen,
Wann seinen muntern Geist Vernunft und Klugheit ziert,
Daf er in die Natur viel tiefer schauen lernet,
Mit Fleiß sie untersucht und sonder Irthum kennt,
Sich von des Pöbels Sinn und Aberwitz entfernet,
Sich einen würdigen Sohn des grossen Celsus nennt.

Wann des Verderbens Lohn, die Frucht des zarten Lebens,
Die Krankheit unsern Leib in Furcht und Schrecken stürzt,
Und andrer Leute Rath zum öftern ganz vergebens
Den franken Kopf erfüllt, und nur die Zeit verkürzt:
So dämpfe ein weiser Arzt den Schmerz der uns umziehet,
Und setz den schwachen Leib in seinen vorgeh Stand.

11nd

Und hierum hast Du Dich, mein Freund! mit Ruhm be-
mühet;

Dein Fleiß ist nicht nur mir, nein! Jedermann bekannt,
Drum kan ich Dich ansezt geehrter Doktor! nennen,
Das Dein gelehrter Geist schon längstens hat verdient.
Doch dieser kurze Raum wil jezzo nicht vergönnen,
Gelehrter Pertsch, den Ruhm, der ohne mich schon grünet,
Mit ausgesuchtem Lob vor andern zu erheben.
Gott lasse nur, mein Freund, Dein längst erbetnes Glück
Ununterbrochen seyn, und nebst Dir grünend leben!
So weich, wo Du einkehrst, Morbone gleich zurük.

Nächst schuldigssten Glückwunsch zur erlangten Doktor-Würde
und Anwünschung alles fernern Wohlergehens, wolte sich
hiemit dem Hochedlen und Hochzuehrendem Herrn
Doktor zum beständigen geneigten Andenken bestens em-
pfehlen, Desselben ergebenster Diener und Freund,

Joh. Georg. Heint. Delrichs,

aus Berlin,
der G. S. u. F. R. Bestisser.

Die edle Wissenschaft, so man Arzneykunst heist,
Ist eben selbige, die einen recht anweist,
Wie man die Menschen oft vom Tode kan befreien,
Und ihre Kräfte auch aufs herrlichste verneuen.
Drum einen solchen auch, der sich darzu begiebt,
Das wahre Lob gebühret, und jedermann ihu liebt.

Derselben hast Du Dich, mein Bruder, schon gewenht,
Als Du kaum denken konst: was werd ich mit der Zeit,
Du hast den Fleiß gezeigt, der sonst darzu gehöret,
Wenn man durch Wissenschaft will rühmlich seyn geehret.
Drum Dir Verständige die Ehre nicht versagt,
Als um die Doktor-Würd' Du jemand nachgefragt.

Drum

Dem schreib ich Dir kein Lob, denn wer die Blätter lieft
Und denn Dein Alter kennt, der sieht schon was Du bist.
Mein Vers ist nur ein Wunsch, den sonst gar nichts zieret,
Als daß die Treue ihn aus meiner Brust gebietet.
Der Höchste lasse Dich gesund nach Coburg gehn,
Und gönne mir die Lust, Dich bald dafelbst zu sehn.

Mit diesen Zeilen wünschet seinem Hochgeehrtesten
Herrn Bruder zur erlauchten Doktor-Würde alles
Heyl und Wohlergehen

Deßen
aufrichtiger und treuer Bruder
Johann Sebastian Pertsch,
Stud. Pädagog. Coburg.



Halle, Diss., 1746/47





DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

VENENIS

1746, 32

EORVMQVE DIVERSO AGENDI
MODO,

QVAM

AVSPICE DEO PROPITIO

EX AVCTORITATE GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

DOMINO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO,

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMO PRVSSORVM REGI A CONSILIIIS SANCTORIBVS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDIN,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

MMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME OBTINENDIS,

AD D. XIX. NOVEMBR. A. S. R. MDCCXLVI.

HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS


PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

DANNES CHRISTIANVS FRIDERICVS PERTSCH,
COBVRGENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



B.I.G.

Farbkarte #13